



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XV. Decem Quæstiones super Decem Leprosis. Dominica XIII.
Post Pentecosten. Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. v. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XV.

Decem Quæstiones super Decem
Leprosis.

DOMINICA XIII. POST PEN- TECOSTEN.

Occurrerunt ei decem viri leprosi.

LUC. I7. V. 12.

S. I.
Quæstio I.
Cur lepro-
si potius
quàm alii
ægoti, &
quidem
decem oc-
currant.



Quum decem leprofos Christo occurrentes aspicio, decem pariter quæstiones de iisdem mihi occurrunt, quæ Evangelicam nõ modicè elucidant historiam. & imprimis quidem: cur leprosi potius quàm aliis symptomatis affecti, eo insuper in numero, quem Crux siue littera X. exprimit, Salvatori occurrunt? est lepra vivacissimum peccati Symbolum, ideòque ad hoc expiandum sæpius à vindice DEO immissa legitur. Contra primum Decalogi mandatum deliquerat Rex Ozias, Sacrilegas manus Sacratissimis aris admovendo, & leprâ extemplò percussus est 2. paral. 26. contra secundum & quartum Maria soror Moysis irreverenti murmure exerrârat, & leprâ culpam septiduo luit Num. 12. contra quintum crudelis Joab egerat, innocentes Abner & Amasam interimendo, ideòque à Regum mansuetissimo universa Joabi posteritas anathemate percussa est: *veniat super caput Joab & super omnem domum patris ejus, nec deficiat de domo Joab leprosus* 2. Reg. 3. v. 29. in septimum præceptum Simoniacus Giezi fordidè impeggerat, inque pœnam ab Elisæo audit: *sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum* 4. Reg. 5. v. adhæret peccatoribus lepra tanquam hedera viti, aut signum rei quam significat. est enim verò lepra, ut dixi, Symbolum peccati. abominabile est corpus leprâ infectum, abominabilior anima peccato fordidata, unde D. Augustinus in meditat. dicere non dubitat: *plus vitanda est sola peccati scditas, quàm qualibet tormentorum immanitas.* foetet corpus leprosum: foetet plus corpore anima impius abominabilis est & inutilis, vel ut alii legunt: *foetidus est & male olens* Job. 15. v. 10. *tolerabilior est canis putidus foetens hominibus, quàm anima peccatoris* DEO Hugo lib. de conf. corpus leprosum omnino decõre spoliatur, anima omnibus gratis exuitur: *omnis lapis pretiosus operimentum tuum perfectus decore, in deliciis paradisi, donec inventa est iniquitas in te* Ezech. 28. v. 12. leproso vox rauca, respiratio difficilis, halitus gravis: anima peccatrix in blasphemias, convitia, turpia colloquia effunditur, ad laudes Dei rau-

raucescit, attrahere Spiritum S. nescit, foetorem halat & pestem. in leproso sensus paulatim pereunt, & cutis præ stupore nec aciculam aut ferventem aquam sentit: anima leprosa friget ad opera bona & affectus sanctos, per torporem, caligat per gratiæ subtractionem, obsurdescit ad divinas inspirationes, itaque obtupefcit, ut conscientiae stimulos vix ultra sentiat, fateatur Augustinus lepram suam lib. soliloq. *cæcus eram, surdus & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam. vulnera verunt me & non dolui, traxerunt me & non sensi.* defluunt in leproso pili ex mento, palpebris, capite; finduntur, dilaceranturque ungyes; virulenta ulcera cum molestissimo pruritu in plerisque corporis partibus excrescunt & excavantur; in anima peccatrice omnes bonæ cogitationes defluunt, omnis cura salutis disrumpitur, plurima & foetidissima novorum scelerum nascuntur ulcera, & novorum flagitiorum excitant pruritum. *attende pœnam malorum* ait Ruffinus in v. 12. Pl. 57. *etiam inter suas voluptates. Sic se Deus in presenti à malis vindicat, ebsque ipsis suis vitiis flagellat, ut nemo sit, qui sub onere idolorum suorum non gemat.* de corde peccatoris eleganter S. Ambrosius lib. de fuga sæculi c. 7. *nequitiae vestigiis proculcatur, stimulatur ungvibus, processu quodam improbitatis incrementoque concutitur.* Occurrunt proinde omnium eorum nomine, qui decem DEi verba seu mandata violant, decem leprosi, universitatem delinquentium in hoc numero denario, ex quo ceteri conflantur numeri, representant. quin & ipso in numero spem bonam concipiunt fore, ut virtute crucis Domini- cæ, quæ per denarium significatur,

lepræ suæ emundationem optatissimè consequantur. nec finè acumine vocantur *viri leprosi*, ut ex fortiori sexu illi designentur peccatores, qui ex malitia & contumacia, non ex fragilitate humana leges DEi transgrediuntur. Et jam quæstio de decem una soluta est, *no vem ubi sunt?* videlicet, quis denos hõsce leprosos in societatem coadunârit? cur simul omnes, & non seorsim singuli preces suas obtulerint? cur non alio quàm Præceptoris titulo Salvatorem condecoraverint? cur à longè steterint? cur ad Sacerdotes ire iussi? inter eundem persanati? à recepta sanitate novem ad gratias dicendas regressi non sint? is autem qui solus omnium in accepti mnemosynon beneficii sese ad pedes Salvatoris prociduius stitit, alienigena à Christo vocitetur? neque ad Sacerdotes amplius remittatur? quarum responsa quæstionum ubi brevissimè attulero, licebit ex Salvatoris ore Auditori aulico dicere: *surge, vade.*

I. Regum 22. v. 2. de Davide scribitur convenisse ad eum omnes afflictos variisque calamitatibus vexatos, ut ex Societate Davidis Solatium invenirent, nam juxta commune adagium: *solamen miseris socios habuisse dolorum.* imò ut Davidem in suum constituerent Ducem, sub cujus auspiciis feliciter contra adversitates decertarent: *Convererant ad eum omnes, qui erant in angustiis & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Quis tot Davidi milites conscripsit & authoravit? non pecunia, non tubæ & tympana, non fortuna Davidica, quæ eâ tempestate fugitivum Davidem accerrimè insectabatur, sed Calamitas seu tribulatio milites Davidicos collegit, in cohortes composuit, in legiones ordinavit, in exercitum armavit. Similiter Calamitas similis de-

§. 2.
Quæstio
Secunda
quis le-
profos
confocia-
rit.

decadem leproforum combinavit, ut pro decurione suo vellent habere Christum, quem Isaias depinxit *quasi leprosum, percussum à DEO, Virum dolorum scientem infirmitates.*

ll. 53. v. 4.

Calamitas hunc in se continet magnetismum, ut discordes concordet animos, uniat divisos, congreget dispersos.

In arca Noë ingens erat animalium Concordia, quæ alioquin congenitam adversus se discordiam alebant. non persequebatur musculum felis, non felem canis, non canem leo, non leonem draco, sed ingens erat omnium consensus, pax, & unitas, quam ex præsentis discabant calamitate. *Orbis Calamitas* inquit S. Bruno de laudibus Ecclesiæ *eodem in pabulo omnes pacificavit.* pro Arca Noëmitica nobis Crux Christi est, ad quam nisi unanimes congregemur, omnibus Noëticis animantibus deteriores sumus. Quin idcirco Noëmus noster Iesus calamitates in urbem aut regionem integram immittit, ut in unitatem charitatis congreget dissidentes.

Magnus Ægypti prorex Iosephus fratribus suis domum paternam revituris hæc documenta dedit: *proficiscentibus ait, nè irascimini in via* Gen. 45. v. 24. cur reducibus prudentissimus Prorex mandet Concordiam, causam reddit S. Ambrosius lib. de Ioseph. c. 13. quia ex pristina calamitate evaserant, multaque per Iosephum prosperitate erant recreati, pronum igitur erat, eosdem in discordiam degenerare, sicut enim Calamitas concordēs, ita discordēs facit prosperitas: *Reduces erant saturi & donis pleni, quod etiam amantes sui possent separare germanos.* Quin & leprosi hodierni, quamdiu miseri, tamdiu Concordēs, quam primum verò depulsà leprà prosperitatem degustare cœperunt, decadem mox

suam Concordiamque dissolverunt.

Concordēs adhuc videamus, unâque voce clamantes audiamus: *IESU præceptor miserere!* non orat unusquisque pro se, sed omnes pro singulis, ut facilius feliciusque exaudiantur. *hæc vis DEO grata est* inquit S. Chrysostomus, si videlicet multi simul postulent. nam ut divinè scripsit Ambrosius: *multorum preces impossibile est contemni.* Joann. 4. Rogat IESUM regulus, descenderet & sanaret filium ejus. at Christus severo supercilio illum reprehendit, & non descendit: *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Matth. 8. rogat Centurio pro puero suo paralytico; & mox Christus: *ego veniam & curabo eum.* Cur in domum Reguli rogatus venire renuit? in domum Centurionis non invitatus descendere dignatur: *ego veniam!* nimirum Regulus venerat solus, at verò Centurio misit ad eum seniores, rogans eum Luc. 7. v. 5. *quod unius orationi non conceditur, multi extorquent.* *Amat DEUS ut multi rogent* inquit idem Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10.

Luc. II. petit egenus quidam à vicino suo nocte concubiâ tres panes. cur unus non sufficit? respondet Sylveira, quia citius se tres quam unum impetraturum præfagebat, cum enim tres petit, non pro se solo sed pro pluribus tacito eorum nomine postulat, novitque genium vicini sui, qui citius exaudit eum, qui pro aliis, quam qui pro se solo divina munera efflagitat. Qui DEUM orat pro proximo, etiam pro se orat, multumque sui profectum assequitur.

Matth. 26. ingressus hortum Gethsemani Christus selectos Discipulos tres affatur: *sustinete hic & vigilate mecum.* tum progressus orat Patrem, ut Calicem amarissimum

S. 3.
Quæstio
tertia, Cur
simul ora-
verint.

S. Chryf.
Orat. 4. de
natura Dei
S. Ambr. l.
de pœnit.

mun ab amanti filio transferri patiatur, verum cum nihil se proficere videret, redit ad discipulos & orare jubet, *ut collaboretis mecum in orationibus*, inquit Christi nomine Origenes apud D. Thom. in cat. quo divinissimo documento erudire nos Christus voluit, dari id multorum precibus, quod uni etiam charissimo negatur. eleganter S. Chrysostomus in 2. Cor. 1. *DEus frequenter reveretur multitudinem unanimum & consentientem in precando, ut veluti pudore victus non ausit illi negare.* Fortè nec hodierni leprosi exauditi fuissent, nisi corde & ore uniti sanitatem postulassent.

S. 4.
Quæstio
quarta cur
Præceptorem
vocent.

Clamant proinde unâ voce & Præceptorem inclamant: *JESU Præceptor miserere nostri.* Præceptorem vocant, non *Filium Davidis* cum cæco Bartimæo & Chanaæa Matth. 10. v. 47. non *Sanctum DEi* uti dæmon Luc. 4. v. 34. non *Agnum DEi* uti innocens Joannes Joann. 1. v. 29. non *Filium DEi* uti Petrus Matth. 16. non *Regem Israel* ut Nathanael Joann. 1. v. 49. quia Præceptoris hujus ambiunt esse discipuli parati jurare in verba Magistri. Præceptorem appellant, quia peccatores sese & plagâ dignos confitentur, qui decalogum & præcepta supremi Præceptoris violârunt. Præceptorem nuncupant, quia pro optatissimo *Recipe* & lepræ antidoto, unicum verbum Salutis seu *Præcipe* expectant, certissimè sibi persuadentes, quòd illius dicere perinde sit ac facere, neque alio opus sit pharmaco, quo sanitatem recipiant, quàm ut præceptorem agat Jesus, & præcipiat lepræ abitum, reditum sanitati. Præceptorem agnominant, quia ad præcepta illius accuratius observanda posthac obsequentissimè sese offerunt ituri cum Naamano in Jordannem aut cum Jona in ventrem ceti,

Denique Præceptorem invocant, ut hac nomenclaturâ commoneant ad opere implendum quod Jesus de se prædicabat, venisse nimirum se ad salutem ægris conferendam. audierant enim de se dicentem: *Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem* Luc. 4. v. 18. ille nimirum verus Præceptor est, qui quod prædicat, ipsemet exequitur.

Sapientissimè dixit Seneca ep. 75. *philosophia non est in verbis sed in rebus.* non præcipit sed decipit, qui solo ore & non opere agit præceptorem. Ridicula lex est, quam suo Legislator pessumdat scandalo. cancrum agit in fabula, qui aliter agit quàm doceat. Subjungit proinde Seneca ep. 108. *sic ista dicamus, ut quæ fuerunt verba, sint opera.* non minùs eruditè Isidorus Pelusiota scripsit: *fabulæ videntur verba sine operibus*, & D. Gregorius; *cum imperio docetur, quod priùs agitur quam doceatur.* hinc Salvator loquebatur *tanquam potestatem habens*, & *non sicut scribæ*, erat enim imperator animorum, cum esset Doctor realis non verbalis. *Non tam lingua quàm vitâ erudias, non tam disseras magna quàm facias*, inquit S. Paulinus ad Jovium, & D. Hieronymus contra Jovin. lib. 2. *licet sermone taceamus, habitu loquamur & gestu.* Verba sine operibus vocat Gregorius Nyssenus *pictureas inanes verissimis rebus oppositas*, quas pictureas supremus inspector igni aliquando adjudicabit, quin potius pictureas in hoc imitandi sunt, qui non tam ore docent, quàm manu ut canit Gregorius Naz. in jambicis:

S. 5.
Opere potius docendum quàm ore.

S. Isid. Pelus. ep. 714

S. Greg. 23. moral. c. 7.

Luc. 7. v. 19

Greg. Nyss. Orat. de paupert.

Doctrina rebus instruit,
Vel nè doceto, vel doceto moribus

Sermone non tam, quàm manu pictor docet,

L

Idem

Idem Gregorius Orat. i. de Theologia præceptores illos pro deridiculo habet, qui ore docent non opere, quasi gladium gererent in lingua, non in manu. *quid manibus vinctis linguam armamus?* Gemino huic Gregorio Nysseno & Nazianzeno accedit tertius Gregorius Pontifex Maximus, monens ut præceptor, si docere vult feliciter, doceat die suo, suo videlicet exemplo: *quod bellum Doctoris est aliud quam quod lingua conficitur? in die autem suo pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis.* De Ecclesiæ Catholicæ filii dixit proverbialiter Sapiens. *omnes domesticus eius vestiti sunt duplicibus*, si quæras quænam illa dupla vestis sit, respondebit Rabanus esse unam operis, alteram mentis, seu doctrinæ, utramque nisi præceptor habeat, cum autoritate minimè docet, *perdit enim autoritatem docendi, cuius sermo opere destruitur*, inquit D. Hieronymus ep. 83. cui consonat illud Primasii in c. 1. ad Galat. *non potes edificare eum, cui non placueris per exemplum, quia nequeunt edificari verbis, qui destruuntur exemplis.* D. Basilium basilicè commendat Gregorius Nazianzenus, quòd præceptoris nomen meritò obtinuerit, & quidquid svasit persvaserit, nec tam svaserit quàm præceperit, quia opere prius docuit quàm ore: *Tonitruum erat Oratio quia vita fulgur.* tonabat ore quia fulminabat opere, & prius lucebat vitâ, quàm tonaret linguâ. aliâ phrasi nec minùs ingeniosâ idem Nazianzenus D. Athanasium commendat, quòd ea quæ diceret è pulpito, obsignaret vitæ sigillo, ut oratio velut epistola aut decretum regium majoris esset autoritatis: *Sigillo vitæ utens.* hoc Sigillo, hoc Tonitruo, hac Veste duplici, hoc Gladio usus est Iesus, qui opere magis præcepit, quàm verbo, ideoque

meritissimò à leprosis *Præceptor* est appellatus.

Cujus Præceptoris clientes & discipuli ut fieri possent leprosi, *steterunt à longè*, sive quòd indignitatem suam agnoscerent, sive quòd peccatores se esse meminissent, qui propter divinorum præceptorum transgressionem à cœlesti Præceptore suo nimium quantum elongantur; quamvis enim DEUS per immensitatem suam ubique præsens, atque ut Trismegistus dixit apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum 1. *Circulus sit, cuius centrum est ubique, differentie nusquam*, nihilominus longè est Dominus ab impiis proverb. 15. v. 29. quia peccatores ut ait D. Hieronymus, *recedunt à DEO affectuum non locorum spatiis.* Prodigus ille filius, cuius confodalem se egisse pœnitet Augustinus inquit: *profectus sum abs te in longinquam regionem, ut substantiam dissiparem in meretricias cupiditates.* prodigus, inquam, ille filius abiisse paternâ domo dicitur *in regionem longinquam*, ut elongatio peccatoris à supremo Bono demonstratur. *Abierat* inquit Doctor Aquinas in c. 15. Lucæ *non localiter à DEO discendens, qui ubique est, sed affectu: fugit enim DEUM peccator, ut à longinquo stet.* bene Ambrosius lib. 7. *quid enim longinquius est, quàm à se recedere, nec regionibus sed moribus separari, studiis discretum esse non terris, & quasi interfuso luxuriæ secularis aestu, divortia habere factorum? etenim qui se à Christo separat, exul est patrie & civis mundi.* Viscire quantum peccator à DEO distet? *quantum distat ortus ab occidente*, inquit Psaltes. in cuius verba ita commentatur Africanus Sidus: *quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia.* Peccata tua tanquam in occasu sunt, gratia quâ liberaris in ortu est. *avertere igitur* ait idem homil. 50. *avertere, avertere ab occiden-*

S. Gregorius lib. 5. c. ult. in 1. Reg.

Naz. Orat. 70. de laud. Basil.

§. 6. Quæstio quinta Cur steterint à longè.

S. Hieronymus ep. ad Damasum. S. Aug. lib. 4. conf. c. 26.

Pf. 102. v. 12.

cidente, convertere ad Orientem; occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. in occidente, vetus, in oriente novus, in occidente Saulus, in oriente Paulus.

Distanciam peccatoris à DEo epulo expressit Luc. 16. *inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* ubi rectè S. Thomas, *chaos magnum significat justorum à peccatoribus distanciam. nam sicut affectus eorum varii fuerant, sic etiam mansiones non modicum differunt.* O peccatores, exclamat S. Augustinus à bonorum omnium fonte *infeliciter exclusi, infeliciter excludendi, appropinquate DEo, & appropinquabit vobis.* hi ab eo longè esse dicuntur, qui peccando dissimilimi facti sunt; & hi ei propinquare, qui ejus similitudinem pie vivendo recipiunt: sicut rectè dicuntur oculi tantò esse ab hac luce longius, quantò fuerint cæciores. Quid enim est tam longè à luce, quàm cecitas, etiamsi lux præsto sit atque oculos perfundat extinctos. propinquare autem luci meritò perbibentur, qui sanitatis accessu lucem recipiunt, qui longè à cœlesti igne abis, frigescis, recedendo enim, ait idem S. Augustinus in ps. 70. *frigescis, accedendo fervescis, recedendo tenebrescis, accedendo clarescis.* V. Beda in c. 8. Marci. *quantò quisque à pravo opere erravit, tantò ab omnipotente DEo longius recessit.* S. Thom. *vos qui aliquando eratis longè facti, id est elongati, estis nunc prope DEo, non loco sed merito. quidam enim ex eis de longè venerunt, scilicet de regione dissimilitudinis. vos autem modo facti estis prope DEo scilicet & Sanctis ejus in sanguine Christi.*

Ita appropinquaverunt decem hodierni leprosi, qui è statione remota ad propinquam JESU gratiam, & gratiosam admissi audientiam, benevolum illud verbum audierunt: *ite ostendite vos Sacerdotibus.* Cur ad Sacerdotes remittantur cau-

sa est potissima, ut umbratili illi Sacerdotio honorem exhibens doceret, quo honore novæ legis Sacerdotes digni sint. observat S. Bonaventura nunquam Sacerdotes à JESU reprehensos fuisse, ut doceret etiam iniquis reverentiam honorèmfervandum, & nè calumniatores possent dicere (D. Chryfostomum recito) quoniam Sacerdotum gloriam rapuit. Certè cum nummularios templo ejiceret, mensas everteret, pecunias dispergeret, emtores insuper flagellis cæderet, solis Sacerdotibus absque ullo intentato verbere citra ullam verborum acrimoniam dixit: *auferte ista hinc* Joann. 2. v. 16. atque ut magis ostenderet, quàm sibi cordi sit Sacerdotum honor, dum coram summo Pontifice ab impudenti famulo feratâ manu cæditur, non tacet sicut ovis coram tondente se, non porrigit maxillam alteram, prout ipse porrigendam docuerat, sed verbis feriis percussorem increpat, quia ut præclarissimè differit S. Augustinus *ubi non respondebat, sicut ovis silebat; ubi respondebat, sicut Pastor docebat.* Docebat autem Sacerdotibus licet iniquis honorem deferendum, neque tolerandum, ut illatæ Sacerdotibus injuriæ jure quis argui possit.

Describens Psaltes regius injuriam summo Sacerdoti Aaron ab impiis Dathan & Abiron illatam, & poenam à vindice Justitia absque mora & misericordia inflictam in hæc verba prorumpit: *irrita verunt Moysen in castris Aaron Sanctum Domini* Ps. 105, v. 6. cur Moysen Sanctum non vocat, quem Spiritus Sanctus Canonizat Eccli. 45. v. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Aaron peccator fuit, vitulum fabricavit, contra innocentem fratrem murmuravit aliâque patravit scelera, ipse tamen præ Moysè Sanctus

S. Aug. ho-
mil. 16. ex
50. &
Tract. 36.
in Joan.

S. Thom.
in cat. ad
c. 8. Marci

§. 7.
Quæstio
Sexta cur
ad Sacer-
dotes mit-
tantur.

S. Aug.
tra. 116.
in Joann.

vocatur, cur ita? Summus Sacerdos ceteros Ecclesiae Prælatos significabat, ait Incognitus, instruimur proinde tantum honorem Sacerdoti etiam peccatori deferendum, quantum ne iusto quidem ab ipso DEO Canonizato, si Sacerdos non sit. De Sacrilegis Sacerdotii contemtoribus Dathan & Abiron scripsit S. Ignatius M. ep. 3. *Dathan & Abiron Moyfi resistentes vivi ad inferos depositi sunt.* non dicit Ignatius sepultos esse in inferno, sed depositos, quia cadavera quæ duntaxat deponuntur, competens sepulcrum & funeralia nondum habere censentur. Depositi sunt ad inferos Sacrilegi Contemtores, quasi infernus iste non habeat sufficiens pro iisdem excarnificandis tormentum, sed novis pœnis novo opus sit inferno. Quantum Sacerdotio deferri honorem velit Christus, ingeniosâ observatione S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joann. c. 58. adnotavit, ipso resurrectionis Dominicæ sole quærens Maria Magdalena Sospitatorem ac delictum suum JESUM ubi tandem intueri & amicas audire & reddere voces digna fuit, ad pedes illius se abiciens mille basiis devenerari aiebat; sed cave sis inquit JESUS, *noli me tangere*, pedemque retrahit. Non licuit fideli Magdalena prensare pedes, licuit incredulo Thomæ palpare JESU manus, suamque in illius latus manum mittere. quid hoc? Thomas pertinax, irreverens, temerarius non tantum permittitur sed jubetur manus latusque tangere, imò manum in fixuras clavorum vulnuscumque lateris tanquam in gazophylacium divinitatis imponere, & fidelis illa amatrix Magdalena nè extremitates quidem pedum tangere permittitur? causam differentiae dat Cyrillus, quia Thomas etsi refractarius & infidelis, Sacerdos tamen e-

rat Altissimi, adeoque eo dignus honore, quem mulier suppar Angelis, prodigium sanctitatis norma dilectionis non merebatur. Sed ad leprosos nostros, qui ad Sacerdotes devenerandos missi sunt revertamur.

Non in præsentia Christi, non apud Sacerdotes, sed in via leprosi perfanantur, in præmium videlicet fidei & cæcæ obedientiæ, quia nullam super Præceptoris sui præcepto dubitationem aut iudicii temeritatem in animum suum admittere. quòd non ab ipso met Christo emundarentur, sed Sacerdotes adire juberentur. Rationem hanc ex Euthymio accipio: *illi vero credendo quòd eundo posset illos mundare, ibant non dijudicantes de ejus præcepto.* Dum irent mundati sunt, Jesum relinquunt, suaque cum lepra recedunt ab eo, cui semper adhære re unicè fuisset in votis ac deliciis; quo perfectissimæ charitatis actu merebantur corporis sui quanto cyus recipere sanitatem. DEUM enim propter DEUM relinquere, est salutem felicissimè mercari. Dum irent mundati sunt. citò dat liberalissimus JESUS, ut bis det, verba & promissa sua operibus prævenit, moras rumpit, quia amat, exosæ enim in amore moræ, & prævenire mavult, quàm ut de liberalitate ejus possit dubitari.

I. Reg. 10. Sauli à Samuele dantur tria signa veræ electionis. primò quod juxta sepulcrum Rachel inveniet duos viros. Secundò ad querecum Thabor tres viros, tertio quòd in ingressu urbis obvius ei fiet Prophetarum chorus & tunc mutandum illum in virum alterum. Sed vix vertit dorsum ut abiret: *cum avertisset humerum suum ut abiret, immutavit ei DEUS cor aliud,* cor regium & amplum, ut Theodoretus, S. Gregorius, Hugo, alique expli-

§. 8.
Quæstio
septima
Cur inter
eundum
sanati.

plicant. vide benignitatem DEi ait Cajetanus, non expectavit tempus. citius quàm promissit, promissum exolvit.

Dum irent mundati sunt. Si semel DEus coepit benefacere, non fistit, non retrocedit sed pergit & ascendit ut Pelagius 2. to. 2. Concil. asseruit: *divina beneficia gradibus semper ascendunt.* ità cum benefacere coepisset aquis in Jordane, mox eas nobilitavit amplius Canæ in nuptiis, & initium signorum in aquis fecit: *aquas quas sanctificavit in Jordane* inquit S. Maximus hom. 2. de Epiph. *nobilitavit in nuptiis*, nec unquam cessavit majores majorisque aquis honores præstare, donec sacratissimum cruorem, quem in monte Oliveti ex sudârat, in Jordane ut docet S. Bonaventura abluit, & de torrente ut Psaltes insinuat in via captivitatis suæ bibit, ac demùm ex latere suo aquam cum sanguine emisit. Aquæ multæ populi multi sunt. Cui semel benefacere coepit populo (ut in Israëlita gente ex Ægypto ducta patet) continuat ampliâque gratias, ut scribere audeat S. Fulgentius ep. ad Monimum prius Dei beneficium esse alterius pignus: *ecce qualis est Dominus noster, qui donando debeat, & quanto magis donat tanto magis eum esse debitorem* non pigeat. Nescit semel incitata liberalitas stare, ajebat olim Plinius junior l. 5. ep. 12. cujus pulcritudinem usus ipse commendat. verissimè hæc de liberalitate prædicantur divina, quæ non ab alio, quàm seipsa urgetur movetur, ut indies faciat incrementa.

Non possunt vel ipsi jurati Divinitatis hostes negare hanc Christo laudem, quod det omnibus affluenter, idcirco tentator stygius cum lapides offerret in panem mutandos non dixit: *dic ut lapides isti panis fiant, sed panes, etsi unus panis suffe-*

cisset, quia non solet DEus parcâ manu gratias suas dispenfare aut panem unicum elargiri. hinc illa Christi ad discipulos vox: *quot panes habetis?* & ad famulos nuptiales Canæ in nuptiis mandatum: *implete hydrias aquâ.*

Genius iste divinitatis est semper plus facere quàm promittat, præstare plura, quàm petantur, opinione supplicum citius beneficia conferre prout hodierni leprosi experti sunt, qui dum irent, obviam habuere sanitatem, suorum scilicet scopum desideriorum. Verùm quò promptior DEus est ad gratias conferendas, eò segnior homo fit ad agendas. novem leprosi inquit Titus Bostrensis, in ingratiâ oblivionem lapsi non sunt reversi. cur reversi non sint, respondet Bonaventura: *in hoc manifestè ostenditur judæorum ingratitude, quia cum essent novem, nullus ex eis rediit*, nè aliquid novum inciperent, gratum enim pro beneficiis esse est novi aliquid in mundo. erant nimirum novi hi judæi ex eorum profapia contra quos queritur DEus: *filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt me. cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit* Is. 1. v. 3. in quæ verba Zeno Veronensis ita scribit: exaltatos appellat, ut ingratos ostendat; bovem illis asinumque præponit, ut gravius possint si resipiscant comparatione torqueri quàm poenâ. Non sunt reversi, quia ut sentit Dionysius Carthusianus, postquam Sacerdotibus sunt locuti, ab eisdem seducti fuerunt, sicque ingrati effecti sunt, & reciderunt. quibus verbis insinuare videtur Dionysius novem ingratos in pristinam recidisse lepram velut debitam ingratitude poenam. nimirum ut præclare S. Bernardus dixit: *peremptoria res est ingratitude,*

S. 9.
Quæstio
Octava Cur
novem
non rever-
tantur ad
gratias di-
cendas.

S. Zeno
ser. 5. de
Isaia.

S. Bernard.
ser. de se-
ptem Mi-
hossis

sericor-
diis.

hostis gratiæ, inimica salutis. Dico vobis quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet DEO, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus Conversionis, quemadmodum ingratitude. Vias enim obstruit gratiæ: Et ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. fortè & gratia Sanitatis in neomundatis locum habere non potuit, quia nullo apud eos loco gratitudo fuit. Non sunt reverfi, nè agnoscere cogentur beneficium, hic enim ingratorum est genus offensos se fingere, nè benefactori respondeant. Cum divinam Moyses legem in monte Sinai acciperet, petiit interim ingrattissimus populus ab Aarone: surge fac nobis DEos, qui nos præcedant, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid acciderit Ex. 32. v. 1. en quàm insulse infanus iste populus loquatur! ignoramus quid acciderit, nescimus quò devenerit, quid nobis cum illo & cum DEo ejus, fac nobis DEos. ò ingratitude, plusquam corvina, ò habetudo mentis plusquam asinina! ò malitia populi plusquam diabolica! contemtibiliter valde de Moysse loquuntur inquit Oleaster, atque ut malitiæ suæ velum prætexant, disgustatos se proclamant, quòd terribili per rubrum mare viâ in desertum sint educti, & deliciis Ægypti privati. Notanda nebulonum verba: recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepe & allia. Utinam mortui essemus in Ægypto! habebant ingrattissimi judæi panem angelorum omne delectamentum in se habentem, habebant aquam vivam ex consequente eos petra, omni nectare dulciorem; habebant præsentiam angelicam omni Societate affabiliorem; nihilominus Ægyptus est in desideriis, mors in vo-

Num. 11.

Num. 14.

tiis, ollæ fœtidæ in deliciis. Causa est inquit S. Bonaventura, quoniam ingrati erant, nè beneficium agnoscerent, malè se habitos conquerebantur atque offensos, atque ut titulum offensæ & futilium scaturiginem lacrymarum nanciscantur, à cepis & alliis eandem emendicant. fortè & leprosi hodierni offensos se simulant, quòd non in Christi præsentia sed in via à putore lepræ sint liberati. Plerique mortales inquit Hildebertus Episcopus Conomansis: plerique mortales ingrati sunt obsequiis, & nè cultores suos remunerent, offensos conqueruntur.

Querulentur quantum libet, & emanent per me licet novem ingrati Cuculi, unus iste qui revertitur, unus inquam iste, ut loquitur S. Epiphanius hæres. 66. pro decem est, qui dum gratiarum decimas persolvit, plus quàm decies denis à Christo benedictionibus impletur. Samaritanus est qui revertitur, quia videlicet juxtà nomen suum acceptæ custos est gratiæ. Grattiosè S. Bernardus dixit serm. contra vitium ingrattitudinis: Felix Samaritanus ille, qui cognovit nihil se habere, quod non accepisset, idcirco conservavit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus. Poterat Samaritanus iste dicere ex ps. 58. v. 10. fortitudinem meam ad te custodiam. Sanitatem videlicet meam (ut S. Antonius Paduanus explicat) & gratias acceptas per humilem gratitudinis contestationem conservabo. Verè Samaritanus seu Custos erat, exclamat S. Anselmus in homilia hodierna, qui percepta beneficia servabat per humilitatis Custodiam. Vocatur Samaritanus iste ab ipfomet Christo Alienigena, quia non invenitur (verba Anselmi citati) qui post acceptam veniam recordatur divinæ Pietatis, & ei gratias devoto corde re-

Hildebertus tom. 3. Bibliothec. Väter. PP. ep. 35.

§. 10. Reliquæ duæ quæstionculæ solvantur.

pen-

pendens perseveret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filiis terræ Babylonis, sed ex filiis Jerusalem cælestis. Tam rara res est gratitudo, ut non videatur inquilinus hujus mundi, sed ex orbe altero, si quis redeat & partes suas exolvat. qui verò exolvit, næ ille DEO tam charus est, ut sit totius instar Ecclesiæ. *ille qui gratias egit* inquit glossa ordinaria & Beda *unicæ Ecclesiæ significatione approbatus ac laudatus est.* Hæc gratiarum actio fuit illi novarum gratiarum etsi non petitarum impetratio. Agnitio imprimis veri Messisæ Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech æternum habentis Sacerdotium, idcirco ad Sacerdotes porro adire jussus non est: *non mandat offerre, munus ex lege, quia satis jam obtulerat gloriâ reddens Deo* ait Tertullianus, gratiarum actio est svavissimum Sacrificium, quod omnia legalia longissimè antecellit, actio enim gratiarum omnia Sacrificia legalia exsuperat, teste Philone Alexandrino l. de victim. *quantum aurum præstat lapidibus, tam acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam mactata victima.* Post insignem contra Amalecitas relatam victoriam, *edificavit Moyses altare Domino, Vocavitque nomen ejus: Exaltatio mea* Ex. 17. v. 15. inscriptum erat huic Aræ, ut Josephus ex traditionibus meminit: *Victori DEO*; nec tamen in hac ara, ut Cornelius à lapide probat, ulla unquam victima fuit mactata, quia cum esset prima post primam ab Israelitis obtentam victoriam ara, docere DEUS voluit, primariam esse victimam gratiarum actionem, cui nulla alia possit æquiparari. allusit huc psaltes divino spiritu monens: im-

mola DEO Sacrificium laudis. immolavit id hodiernus Samarites, meruit proinde peracto Sacrificio aut dire: *Vade loco solennis Ite Missa est.* Surge, vade, fides tua te salvum facit. Surge credendo, vade operando, surge incipiendo, vade proficiendo, surge per declinationem à malo, vade per boni operationem, surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem. Hæc Hugo. Ivit feliciter Samarites, sequamur! Leprosi sumus, JESUM inclamemus, JESU vocem audiamus, & obsequamur, Sacerdoti nos ostendamus, & postquam mundati fuerimus, revertamur cum laude & gratiarum actione, ut audiamus hodie gratiosum istud: *Surge vade;* & aliquando in die novissimo gloriosum illud: *surge mortue, vade in domum beatæ æternitatis.*

Pro Emblemate numerum decimum, quo scribi modo vulgariter solet, describo: 10, & ex hoc numero unitatem seu jota abstraho, remanente littera O, sive ut vulgo loquimur: *nulla*; cui nî fallor non inelegans inscribo lemma: *nulla manet. vel: quod superest, nihil est;* ex decade leproforum Unus ad JESUM abstrahitur, remanentibus ceteris in vitioso ingratitude suæ circulo. & novem ubi sunt? sunt in nulla, nullius momenti ac valoris, *nulla sunt, nihil sunt.* Ad nihilum videlicet sua eos redegit ingratitude beneficiorum oblivio; in quod nihilum nè & nos redigamur, jota unum & unus apex nos non prætereat, sed præeat opera nostra omnia, quæ licet videantur esse nulla, valor tamen eorum ingens ab uno erit apice gratitudinis.

§. II.
Emblema.



PRO-